

Omnibus Christi fidelibus presens scriptum visuris vel audituris Eadmundus illustris regis Anglie filius salutem in domino.
Sciatis quod cum per cartas predecessorum nostrorum concessum fuisset abbati et conventui de Bord quod in foresta nostra de Gro-
smund haberent porcos suos de pannagio quietos numero non excepto. Nos per inquisitionem plenius qualiter iidem abbas
et conventus hac libertate usi fuerunt temporibus retroactis invenimus quod dicti abbas et conventus preextu dicte concessionis
habuerunt in foresta nostra predicta tempore pannagii aliquando quinquaginta porcos aliquando plus aliquando minus de pannagio
quietos. Nos vestigiis predecessorum nostrorum deviare nolentes. et quod actum est ratificare volentes. concessimus pro nobis
et heredibus nostris dictis abbati et conventui et eorum successoribus quod tempore pannagii habeant porcos suos in foresta nostra
predicta a prestatione pannagii liberos et quietos. Dum tamen numerum quinquaginta non excedant. Et quod dicti porci
mittantur in dictam forestam nostram per visum forestarii qui pro tempore ibidem fuerit et ad voluntatem eorundem
abbatis et conventus inde extrahantur. Et ut hec nostra concessio robur optineat perpetue firmitatis. presentem car-
tam inde fieri fecimus et eam sigillo nostro roborari. Dat' apud Grosmund. sexta die Decembris. Anno regni Regis
Henrici patris nostri. quinquagesimo. tertio.